

per via di giustizia per il pagamento, e consequitione di detta somma di scudi sette d'oro annui, ovvero loro valuta etc.

Post obitum Testatoris subnata fuit controversia inter supradictos PP. Carmelitas ex una et Carolum Felicem Stratam filium et haeredem ejusdem Testatoris ex altera parte super quantitate eleemosynae dictarum Missarum 84. praetendentibus Patribus eam esse solvendam ad rationem scutorum septem aureorum, viceque versa haerede contendente eam nonnisi ad rationem solidorum decem pro qualibet Missa durante linea ipsius Testatoris fore erogandam, utroque collitigante jus suum metiente ex verbis et contextu Testamenti. Unde introducta causa in Curia episcopali Asten. per ejus Vicarium Generalem favore haeredis prolata fuit sententia. Quapropter recurrentibus Patribus ad hanc S. C. praeacceptaque Episcopi relatione praemissa confirmantis et acta in ejus Curia desuper fabricata transmittentis, fuerunt de consensu Partium concordata infrascripta Dubia, quae hodie Partibus ipsis monitis proponuntur EE. VV. ut ex supradictis documentis in Summar. exhibendis aliisque deducendis placeat resolvere:

*I. An Taxa per Episcopum facta pro eleemosyna Missarum, de quibus agitur, sustineatur?*

Et quatenus negative:

*II. In qua quantitate sit dicta eleemosyna taxanda in casu etc.?*

S. C. C. resp.: Dilata.

Die 15. Mart. 1710.

*Iterum proposito Dubio S. C. C. resp.:*

*Ad I.:* Affirmative;

*Ad II.:* Provisum in primo.

Die 29. Mart. 1710.

### *Camerinen.*

(Conc. Tr. Decr. de Purg. Sess. 25.)

Ab humanis decessurus Comes Petrus Martinus Ambrosius conditis supremis tabulis sub anno ultimo elapso ita disposuit:

Che l'infrascritta mia herede dopo quattro mesi dal giorno della mia morte debba aggiungere nell'Altare di S. Ambrosio della mia Casa nella Chiesa de Monachi Silvestrini in S. Benedetto messe tre la settimana con applicare i Sacrificii per l'anima mia, e del quon. Signor Gio. Paolo Ambrosi mio Fratello carnale, e secondo la mia intentione, con farne sborso in darnari contanti à dd. Padri per quella somma vera concordata coll'infrascritta mia herede in adempimento et obligo per dette tre messe la settimana in perpetuo et all' hora siano tenuti i medesimi PP. notare d. obligo in Tabella apresso l'altro, già fatto d'altre quatro messe la settimana dal quon. Ambrosio mio Zio carnale; acciò compito debbasi celebrare in d. Altare una messa al giorno.

In omnem vero eventum, quo praelibati PP. vel acceptare hujusmodi legatum nollent vel nequaquam cum herede convenirent super solutione eleemosynae, Testator ipse sub iisdem conditionibus substituit Collegiatam insignem S. Venantii eaque pariter dissentiente post quattuor annorum curriculum liberam facultatem contulit heredi, alteram sibi benevisam decernere Ecclesiam, in qua ejus mens exsequeretur, quemadmodum latius ex Testamenti particula in Summario recensenda. Protinus Comitissa Maria Ambrosia Stelluta heres ex asse nuncupata exequiri desuper curavit Abbatem et Monachos Silvestrinos, qui capitulariter congregati decreverunt, jam dictum missarum onus perpetuum acceptare cum eleemosyna praestitu-

enda ad rationem infirmae taxae Curiae episcopalis. Minus acceptum fuit hujusmodi responsum jamdictae Comitissae Mariae, quae explicari ab ipsis Monachis cupiebat determinatam eleemosynae quantitatem deliberandi causa, num consentiri posset super ejus solutione. Hinc judicio diu exagitato in Curia episcopali tandem ad enixas eorundem Monachorum instantias taxata stipe hujusmodi missarum ad rationem obulorum quindecim et quadrantium duorum pro qualibet definitive pronunciatum fuit, persolvendam esse ab eadem Comitissa Maria summam scut. 1000 implicandam in locis montium non vocabilium, quorum redditus praestitutae eleemosynae pares esse asseruntur. Deducta vero subinde ejusmodi controversia ad Sac. Congregationem juxta morem informare jussus fuit Episcopus, qui repetita facti serie praenarrata censet, Decretum Curiae episcopalis undique constare, eo praesertim sub obtentu, quod summa praescripta non exuberat consuetam taxam onerum perpetuorum neque Ecclesiae substitutae minori stipendio onera adjuncta acceptare possent, quare ex his et aliis in informatione adducendis humiliter ab EE. VV. declarari petitur:

*I. An Taxa eleemosynae missarum, de quibus agitur, facta per Ordinarium Camerinen. sustineatur vel potius sit augenda vel minuenda et in qua summa in casu etc.?*

*II. An Investimentum scutorum mille demandatum ab Ordinario Camerinen. in locis Montium sustineatur seu potius, quae summa solvenda sit pro eodem Investimento in casu etc.?*

*III. In quo loco et in qua specie bonorum sit faciendum d. Investimentum in casu etc.?*

S. C. C. resp.:

*Ad I.:* Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;

*Ad II.:* Negative quoad primam partem et affirmative quoad secundam et solvendam esse summam 800 Scut. per Haeredem PP. ad effectum investiendi;

*Ad III.:* Provisum ut supra.

Die 30. Sept. et 18. Novb. 1713.

Alexanen.

Clerus Ecclesiae parochialis Oppidi Tiliiani in precibus huic Sacrae Congregationi exposuit plurima in eadem Ecclesia reperiri Missarum onera, quorum adimplementum, licet commodi praestari posset a Sacerdotibus continuo ipsius Ecclesiae parochialis servitio addictis, plerumque tamen ab iis, quibus ejusmodi Missarum onera incumbunt, aliis exteris Sacerdotibus committitur, minori etiam uno Caroleno, qui de caetero pro qualibet Missa juxta Decretum Episcopi deberet persolvi, tributa illis eleemosyna, quod porro, quum ab omni jure devium arbitretur, supplicavit proinde ab Eminentissimis PP. decerni, ut Sacerdotibus exteris, qui ad memoratam parochialem Ecclesiam pro adimplendis praedictis Missarum oneribus velent imposterum accedere, poena suspensionis ad eos inde avertendos infligeretur, ii vero, qui eleemosynam caroleno minorem pro unaquaque Missa auderent persolvere, excommunicatio- nis gladio plecterentur.

Super his Cleri precibus excitatus Episcopus, ut Sacram Congregationem instrueret, retulit se in primo ad eam Dioecesim adventu detestabile mercimonium in ejusmodi beneficiorum, capellaniarum et legatorum persolvendis oneribus invenisse, quum eorum satisfactio unicuique Sacerdoti etiam extero, qui minori pretio paratus esset sacrificium offerre, committeretur, prop-

tereaque editum ab ipso fuisse generale decretum, ne summa minor uno Caroleno posset ab ullo Presbytero pro eleemosyna cujuslibet Missae imposterum recipi.

Hac relatione accepta rescriptum statim fuit Episcopo, ut ad formam Decretorum generalium super celebratione Missarum adversus illorum violatores prout de jure procederet; quia vero supplicationibus Cleri Tiliiani postulantis exteros Sacerdotes ab implendis controversarum Missarum oneribus arceri, contradictores se prae buere Baro Ignatius et Orontius de Seraphinis necnon Sacerdos Alexander Arcella tum ratione beneficiorum juris patronatus tum ex piis quibusdam legatis annua obligatione plurium Missarum in memorata parochiali Ecclesia persolvendarum gravati, oportuit idcirco dubium, quod in calce praesentis restrictus apponetur, disceptandum subscribere.

Contendunt scilicet praefati de Seraphinis et Sacerdos Arcella nullam rationem esse, cur ipsis adimi vel coerceri debeat facultas eligendi unum potius quam alterum Presbyterum etiam exterum, qui Missas, de quibus agitur, celebret; praesertim vero quum hactenus plena usi fuerint libertate, quemadmodum constare asserunt ex libris Ecclesiae parochialis, in quibus et Missarum onera et celebrantium nomina adnotantur.

Subdunt praeterea jus istud electionis libere ipsis competens agnitionem reipsa fuisse ab Archipresbytero pluribusque ejusdem parochialis Ecclesiae Clericis participantibus, qui proinde ab hac prius instructa lite recesserunt adeoque paucos quosdam Sacerdotes istius Oppidi Tiliiani, qui eam adhuc sustinent, veluti non legitimos contradictores in hoc negotio censendos esse.

Contra vero nonnulli Sacerdotes

Oppidi Tiliiani, tam proprio quam Ecclesiae nomine id, quod semel postularunt, se jure tueri existimant.

Inquunt enim sibi fas esse, communi virium suarum studio adlaborare, ut decernatur, indigenas potius quam exteros Sacerdotes eligi debere, qui onera Missarum in propria Ecclesia adimplenda persolvant, quum id et aequitati et honestati consonum videatur potissime ex verisimili Fundatorum aliorumque piorum legantium voluntate, quos ejusdem Ecclesiae Clericis potius quam extraneis favere voluisse nemo potest ambigere. Siquae voluntas ista praesumi debet generalim in omnibus, qui Missas in hac parochiali Ecclesia celebrandas reliquere, id eo magis conjectare liceat in Angelo Caloro, ex cujus dispositione praefatus Alexander Arcella perpetuo subest plurium Missarum oneri; quippe quia idem pius Testator peculiari quadam dilectione Cives Tiliiani se prosequutum ostenderit, dum certa eveniente conditione annuam sexdecim ducatorum summam universitati ejusdem Oppidi legavit.

Caeterum vel ex eo potissimum putant Cives Tiliiani vetandum esse, ne Missae in parochiali Ecclesia dicti Oppidi celebrandae aliis quam Sacerdotibus indigenis committantur, ut pravum scilicet mercimonium ea in re prorsus amoveatur; nihil enim aliud in causa esse inquiunt, cur tanta contentione saepedicti de Seraphinis et Alexander Arcella seligant Presbyteros Cives, nisi quod ex alienigenis facile sit reperire non paucos inopia pressos, qui minori eleemosyna, quam quae in Edicto Episcopi statuta fuit, contenti sint; idque uberrime conjici etiam ajunt ex acri oppositione, qua ipsi supradicto Episcopi Decreto sunt adversati.

De ista praelatione Sacerdotum sive

Saecularium sive Regularium Ecclesiae, in qua ex fundatorum voluntate sacrosancta Missae Sacrificia sint peragenda, pertractant *Card. de Luca* de legat. disc. 25., *Capon.* discept. 169. num. 10. et 11., *Monacell.* formul. 19. num. 18. tit. 10. tom. 1. et de ea pariter actum saepius fuit coram hac Sacra Congregatione, ut videre est in *Romana* eleemosynae Missarum 5. Septembris 1716, in *Regien.* 5. Augusti 1719, in *Bituntina* Missarum 24. Septembris et 19. Novembris 1719, in *Romana* Oneris Missarum 12. Januarii 1732, in *Papien.* Oneris Missarum 28. Novembris et 12. Decembris 1733, in *Tyburnina* celebrationis Missarum 10. et 24. Septembris 1735, in *Camerinen.* Capellaniae 19. Novembris ejusdem anni et in *Mediolanen.* celebrationis Missarum 28. Aprilis et 12. Maii 1736.

De quantitate autem eleemosynae tradendae pro unaquaque Missa et unde ejus taxa desumenda sit, tradunt *Suarez* in 3. par. s. Thom. tom. 3. quaest. 86. sect. 2. in prim. et secund. conclus., *Rosignol.* de Euchar. tom. 15. quaest. 12. de stipendio Missae art. 3. num. 5., *Tamburin.* de Sacrif. Missae lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 2. et alii communiter docentes justam eleemosynae taxam desumi debere vel a communi consuetudine, quae vigeat in Dioecesi, vel a lege in Synodo praescripta vel demum ab Episcopi decreto, et idipsum declaravit Sacra haec Congregatio die 15. Novembris 1699 in causa *Aprutina*, dum praepositis ad preces Episcopi duobus hisce dubiis: Primo: *quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium?* Secundo: *quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus?* respondit: *Attendendam esse consuetudinem loci vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus, statuendum esse per Episcopum eleemosynam competentem*

*ejus arbitrio* ut in lib. Decret. 48. pag. 584. \*)

Num vero Episcopus statuere possit Sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata, disputant pariter Doctores, quorum aliqui sententiam negativam tenent et praesertim *Gibalin.* de Simon. quaest. 18. consect. 7. sub num. 5., *Azzor.* Institut. moral. par. 3. lib. 12. cap. 6. in fine, alii vero affirmativam tuentur, quos inter late rem pertractat *Pasqualig.* de Sacrif. Missae quaest. 928. num. 3. et seq. Haec autem posterior sententia magis probatur ab hac S. Congregatione, in cujus registis haec habentur sub titulo s. Severini eleemosynae Missarum 16. Julii 1697: „Episcopus narrat sacrosanctum Missae Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse possit statuere eleemosynam manualement unius integri Julii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate? Sacra etc. respondit affirmative quoad eleemosynam manualement. His itaque perpensis una cum juribus Partium ac relatione Episcopi deliberandum erit:

*An celebratio Missarum adimplenda per Alexandrum Arcello et Ignatium Seraphinum in Ecclesia parochiali Tiliiani Sacerdotibus exteris eisdem beneviseis committi valeat in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative soluta tamen eleemosyna juxta decretum Episcopi et amplius.

Die 12. et 26. Jan. 1743.

b) Modus et rationes.

Vd. tom. III. pars. II. p. 184. *Ultimum* etc.

\*) Resolutio dd. 17. Junii 1786 in Januen. §: Primum.

## 36) Transmissio ab una ad alteram Eccles.

Vd. *Missae* (in alteri, transl.)

*Urbanus Papa VIII. — Ad futuram rei memor.*

Cum, sicut accepimus, quamplures eleemosynae pro missis in Ecclesia Monasterii S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulen. pro animarum Christifidelium defunctorum refrigerio et salute celebrandis, eidem Ecclesiae in dies erogentur, omnes vero missae hujusmodi ob nimiam earum quantitatem in dicta Ecclesia celebrari nequeant,

Nos, qui omnium saluti paterna charitate intendimus, piae Christifidelium intentioni ac desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicti Monasterii Priori in virtute sanctae obedientiae per praesentes praecipimus et mandamus, ut satisfactis prius oneribus perpetuis Missarum sive Anniversariorum, quibus Monasterium hujusmodi obnoxium est, pro satisfactione eleemosynarum manualium in eadem Ecclesia de caetero ad effectum praedictum elargiendarum sive erogandarum, majorem, quam possit, diligentiam adhibeat, ut debito eleemosynarum hujusmodi numero in Ecclesia praedicta satisfiat.

Pro illis autem, quibus satisfacere non poterit, in Urbe per sacerdotes saeculares vel cujusvis ordinis regulares, de Superiorum suorum licentia, alteri Missarum celebrationis oneri non obnoxios, vel eas Monasteriis Congregationis hujusmodi, ut in eorum Ecclesiis celebrantur, distribuendo satisfieri omnino curet, quae Monasteria nulli Missarum celebrationi, quae distributionis vigore praesentium faciendae

exequutionem non impediunt, sint obligata. Dictusque Prior sexto quoque mense notulam peractae distributionis ac satisfactionis dilecto filio nostro in alma Urbe Vicario in spiritualibus generali vel ab eo specialiter deputato consignet.

Quodque de caetero eleemosynae pro Missis in eadem Ecclesia S. Gregorii celebrandis, quae infra modicum tempus ibi celebrari non poterunt, illic minime recipiantur, nisi Sacrista vel alius minister Missarum numero describendo, atque oblationibus recipiendis praefectus prius admoneat singulos, qui eleemosynas offerunt, de tempore intra quod Missae ab iis requisitae probabiliter celebrari poterunt.

Praeterea, quod pecuniae, quae ad praesens in deposito et eleemosynis Missarum conflatae reperiuntur, per alias ejusdem Congregationis seu almae Urbis nostrae Ecclesias arbitrio Abbatis generalis ejusdem Congregationis et dicti Ordinis Prioris, vel Sacerdotibus, nulli pariter alteri celebrationis Missarum oneri, ut praefertur, obnoxii, praevio consensu et approbatione ejusdem Vicarii nostri vel ejus deputati, quamprimum distribuuntur, ad hoc ut totidem Missae pro fidelibus defunctis quam primum celebrentur et infra sex menses proximos eidem Vicario nostro vel ejus deputato notula tam peractae distributionis quam celebrationis Missarum per eundem Priorem consignetur.

Insuper Ecclesiis seu Altaribus, in quibus Missae pro eleemosynis dictae Ecclesiae S. Gregorii elargitis, ut supra, celebrantur, easdem Indulgentias, quae ipsi Ecclesiae S. Gregorii a Sede Apostolica concessae reperiuntur, auctoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, earumdem tenore praesentium concedimus.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per dictum Priorem aliosque, ad quos quomodolibet spectat et in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non alias per quocumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae Congregationis illiusque Monasteriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona decembris 1626. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

(Anal. J. P. 1864. p. 969.)

*Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo disalc. Cong. Hispaniae.*

*Pius PP. VI.*

Cum ob saecularium devotionem major accesserit numerus missarum, quam in eo conventu persolvi possit, prior praecedente provincialis consensu in eos conventus distribuuntur, ubi citius persolvantur, dummodo benefactorum mens non obstet; alioquin ultra vires omnino non recipiantur, sub poena gravis culpae.

Die 14. Mart. 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. p. 505. Ed. Romae.)

Si de Missis adventitiis sermo sit, Eleemosynae recipi non debent, nisi

intra modicum tempus, scilicet unius mensis, celebrare possint, seu pios offerentes admonendos esse: tot Missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent Missae, quas sibi Eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus Missarum, quae in Ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut Missae per eos optatae in alia Ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur, idque publico, patentique loco appensa Tabella omnibus nunciaretur.

Veluti totidem verbis legere est in Synod. dioeces. l. 3. c. ult. §. 11. ubi in §§. seqq. Resolutiones Sac. Congregationis transcribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1683. Anagnina.)

## STOLA.

## 1) In Administ. Sacramentorum.

Vd.: *Paroch.* (adm. Sacram.); *Canonici* (adm. Sacram.); *Stola parochorum etc.* (decr. n. 4550 nota.); *Stola* (in Sacram. Poenitent.); *Stola* (in extrema unctione); *Communio Infirmorum*; *Visitatio* (de Poenit.; Olei infirmorum.)

*Ad dub.*: An Hebdomadarius possit uti stola in canendis divinis Officiis, quamvis Archipresbyter ejusdem Ecclesiae, iis assistens, illam deferre consueverit, S. C. resp.: Neutri licere deferre stolam, quae tantum in Sacramentorum administratione et confectione adhiberi debet. n. 1915 die 7. Sept. 1658.

## DECRETUM GENERALE.

Stolam non esse adhibendam in canendis divinis Officiis sed tantum in collatione et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.

N. 4524. die 7. Sept. 1816.

In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur